



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

tendum negocium deo, ut interficiatur Antichristi regnū spiritu oris Christi & aboleatur illustratione aduentus eius, ut liberata à tyrannide traditionū humanarum concedat Abigail in thorum Christi &c.

CAPVT XXVI.



Iphai iterum proditores scribuntur, gratificari uolentes regi, homines impij, quē admodū omnes qui non sentiunt id quod Petrus dicit, Obedire oportet magis deo quā hominibus. Atq; hic saul agit quod semper, nisi q̄ nunc maiori impietate, post quā coram Dauide peccatum agnouerat & iurauerat &c supra ca. 24. Quin & Dauid non recedit ab innocentia sua, nolens occidere regē, donec dominus occidat eum, uindictam deo committit uel doctus ex historia precedentis capituli quā noxiū sit affectus nostros sequi. Et planē hic idem agitur quod cap. 24 prater hoc q̄ hic Dauid exercitata hactenus fide fortior animo factus sua sponte cum socio descendit in castra Saulis. Tam sēpe enim seruatus certo scit se curā esse deo, & non posse Saulis impietate perire, id quod exercitata tentationibus fides in nobis efficere solet. Prouehit enim deus ex fide in fidem, donec crescamus in uerum perfectū &c. Porro ne & in hac historia sapientia carnis habeat quod cauilletur, spiritus curauit ita addi, Quia sopor à deo

mino irruerat super eos, ut miraculum agnoscamus
 dei curam agentis pro Dauide, summa fiducia hic se
 deo committente. **Viuit dominus.**

Hec uerba omnia supra ca. 24. latinis temere ex hoc
 loco sunt inserta. **Sacrificium.** ut signo mani-
 festo ostendat dominus iniustitiam meam, sicut uisa est
 iniustitia in sacrificio Cain. **Vade &c.** id est, qui
 cogunt me recedere à terra patribus. pmissa & nobis
 data, in qua est ueri dei cultus, ad gentes idololatrias,
 ut his similis fiam, aut saltem periculum sit populo qui
 mecum est ne discat ex gentibus malum relicta lege dei,
Maledicti & hodie qui uolunt nos cogere ex heredita-
 te domini, à fiducia in deum in fiduciam alienam &c.

Et nunc non. Sic intelligo. Qui me deserunt ad
 regem hoc agunt ut non moriar in terra, quae est heredi-
 tatis domini, sed cogar fugere ad gentes, quae sen-
 tentiam uidentur sequentia requirere, maxime quod Saul
 dicit, Reuertere &c.

Dominus retribuet.

Hec sententia interpretatur omnes illas quae de retri-
 butione loquuntur operum. Iustus iusta facit & mercede
 dem iustitiae accipit, iniustus iniusta facit & mercedem
 iniustitiae accipit, Ex misericordia dei iusti sumus, iusta
 facimus, non ex nostris uiribus, aut arbitrio, & mercede
 dem accipimus ex eadem misericordia & promissio-
 ne dei, non nostro merito,

Et quidem

Et quidē, id est, dominus est tecū, efficies quod dominus uult & regnabis nullo prohibente &c.

CAPVT XXVII.

Hoc scilicet est quod supra diximus ca. 22. & in eam angustiam deductus est Dauid ut melius sibi fore sentiret inter inimicas gentes quā inter suos. Et ad eū fugit qui præceteris erat Israëlī inimicus, nempe ad regem Achis in Geth palestinorū, ubi accepit ciuitatem Ziceleg à rege ad inhabitandū principis more. Sed cur ad eum fugit coram quo antea timens furere se simulauerat? Respondeo, iam ubiq; innotuerat eū principem qui Goliath confecerat, à rege Israël quæri ad mortem, iccirco hic nihil insidiarū timebatur, sed tantus uir ut Philistinorū regno commodus suscipiebatur, qui præterea multa mala in Saulem facturus sperabatur &c.

Quatuor mensium,

scilicet antequā fiebant quæ sequuntur, alioqui infra ca. 29. ex Heb. dicit Achis Dauidem apud se fuisse diē & annum, id est, multo tempore.

De Sur Gen. 16. Desertū ciuitatis uel loci Sur extenditur usq; ad mare rubrum. Non fuerūt isti ex populo regis Geth, neq; ad Philistym attinebant, ne iura hospitis uideatur Dauid uiolasse, quos occidere & spoliare potuit Dauid secundū uerbum dei, quod Iudæi